



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 48. Galli prælio devicti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

**Sæcul. XVI.** quingentesimi quinquagesimi quarti  
A.C. 1554. mensibus nondum advenissent.

§. XLVIII.

*Galli prælio devicti.*

**Thu. l. 14.**  
**Comm. de**  
**Mont. luc.**  
**liv. 3.**

**Bellefor. l. 6.**

Interea Galli ferme ubique victoriam reportabant (\*) verum Ferrariensis Cardinalis discessus eorum res plurimum evertebat; hic enim Strozio infensus eundem supremi Imperii solum habere dignabatur; quo circa Strozzius a Mariniani Marchionis exercitu, qui duodecim peditum millia, trecentos cataphractos, ac mille ducentos levioris armaturæ Equites recensebat, eximia fortitudine undique premebatur. Strozzius enim non nisi sex Italorum peditum millia, ac decem Germanorum, totidemque Grifonum, ac quatuordecim Gallorum vexilla habebat præter duo Pallav. hist. equitum millia, quibus Mirandulanus Conc. Trid. Comes præerat, ac in pluribus velitationibus nonnunquam victor recesserat. Verum die secunda Mensis Augusti tan-

(\*) Quales hæ fuerint victoriæ, Continuator alias pro gentis suæ gloria adeo verbosus tacet: Thuanus autem, ex quo hic cuncta descripsit, nihil aliud refert, quam Cammollia munimentum a Ducis milite Gallis fuisse erptum, & Bentivolium a Mariniano Marchione repulsum fuisse.

tandem res ad prælii discrimen deve- Sæcul. XVI.  
 nerat, ubi Strozzius cæsus, ac vulne- A.C. 1554.  
 ratus recessit, quamvis enim fugientes  
 Gallos revocare, atque dispersos ad ve-  
 xilla reducere niteretur, nihilominus  
 jam semel, atque iterum equo suo de-  
 jectus scloperti glande trajectus fuit:  
 tandem vero quantumvis saucius ad pe-  
 ditatum, in quo reliqua ipsi spes erat,  
 reversus illum fugiente equitatu deser-  
 tum invenit, sua tamen præsentia tan-  
 tum effecit, ut peditatus ordines suos  
 servaret, & frontem quasi pugnaturus  
 hosti ostenderet. Ast Marinianus, ne  
 partam victoriam temeritate amitteret,  
 cum residuis Gallis haud congregen-  
 dum, sed satis, superque esse existima-  
 bat, si contra hostem quatuor belli tor-  
 menta explodi juberet, quorum tamen  
 explosionibus tantam Gallis stragem  
 intulit, ut post diuturnum duarum ho-  
 rarum certamen solutis penitus ordinib-  
 us profligarentur: Cæsi sunt in hoc  
 prælio Gallorum quatuor millia, ut Cæ-  
 sarei testantur, licet Historicorum non-  
 nulli occisorum numerum duntaxat ad  
 duo millia reducant (\*).      §. XLIX

(\*) Observat Thuanus Scriptor Gallus, quod  
 hujus certaminis locus Gallicidium fuerit voca-  
 tus, idque augurium internacionis Gallorum  
 victores post pugnam acceperint.